

**XII**

AD MAECENATEM

*Asclepiadeo-Glyconicus*

Nōlīs longa ferae bella Numantiae,  
Nec dūrum Hannibalem, nec Siculum mare  
Poenō purpureum sanguine, mollibus  
Aptārī citharae modīs ;

Nec saevōs Lapithās, et nimium merō  
Hylaeum, domitōsque Herculeā manū  
Tellūris iuvenēs, unde perīculum  
Fulgēns contremuit domus

Sātūrnī veteris. Tūque pedestribus  
Dīcēs historiīs proelia Caesaris,  
Maecēnās, melius, ductaque per viās  
Rēgum colla minācium.

Mē dulcēs dominae Mūsa Licymniae  
Cantūs, mē voluit dīcere lūcidum  
Fulgētēs oculōs, et bene mūtuīs  
Fīdum pectus amōribus ;

Quam nec ferre pedem dēdecuit chorīs,  
Nec certāre iocō, nec dare bracchia  
Lūdentem nitidīs virginibus, sacrō  
Dīānae celebris diē.

Num tū, quae tenuit dīves Achaemenēs,  
Aut pinguis Phrygiae Mygdoniās opēs,  
Permūtāre velīs crīne Licymniae,  
Plēnās aut Arabum domōs,

Cum flagrantia dētorquet ad ōscula  
Cervīcem, aut facilī saevitiā negat,  
Quae poscente magis gaudeat ēripī,  
Interdum rapere occupet ?